



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 5. Quibus indiciis in dubio de consensu sufficienti ad mortale cognosci
potest eum fuisse datum, vel non?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

malitia non sit habitualiter nota, tunc actus est culpabilis, si ignorantia sit vincibilis, quia hæc non excusat à peccato.

Not. 3. Cùm aliqui Theologi dicunt ad peccatum mortale requiri advertentiam malitiæ, vel ejus periculi, vel suspicionem, aut dubitationem de illa; ut id cum veritate, & certissimis ipsorum, ac omnium principis consentiat, debet intelligi in sensu accommodo, nempe vel de peccato directè volito, & de peccato malitiæ ex certa scientia commisso: vel de advertentia malitiæ, sive formali præsentis, aut præcedente, sive virtuali, & interpretativa, in specie, vel in genere, in se, vel in causa.

Q. 5. Quibus indiciis in dubio de consensu sufficienti ad mortale cognosci potest, eum fuisse datum, vel non?

Resp. Traduntur à Doctoribus hæc regulæ. 1. Si dubitans de consensu præstito sit vir probus, & timoratae conscientia, seque ita habitualiter, ac constanter dispositum sentiat, ut potius vellet mori, quàm mortaliter peccare; censendus est non dedisse sufficientem consensum, licet aliquam fortè in repellenda tentatione negligentiam admiserit. At, si sit homo pravus, & peccatis assuetus, in dubio censendus est consensisse. Quia in dubio prudens præsum-

sumptio à censuetis, ac communiter contingentibus, & habituali dispositione sumitur. Et quia prior summè detestans peccatum habitualiter, si illud admisisset cum pleno consensu, hanc mutationem ita advertisset, ut de ea nil dubitaret; posterior verò parvi pendens peccatum, si non plenè consensisset, non dubitaret, Porro non est signum imperfecti consensûs, sed tantùm mutatae voluntatis, contritio, quæ actum peccati statim consequitur.

2. Quando suborta cogitatione, seu tentatione de faciendâ re mala, non facis, cum facile posses, signum est consensum in opus non fuisse perfectum, quia potentia executrix voluntati omnino obtemperat.

3. Sola perseverantia motus interni post advertentiam non indicat sufficienter plenum consensum, sicut perseverantia motus exterioris membrorum illum arguit; quia his voluntas, non illis despoticè imperat.

4. Quando quis dubitat vigilans, an dormiens, sui compos, an impos, quidpiam voluerit, aut fecerit, probabile indicium est non plenæ deliberationis: quia hæc regulariter hominem de suis actibus certiores reddit; & perfectè vigilans satis novit, se vigilare, & sui compos de hoc non dubitat, nisi fortè mora temporis aliquam induxerit oblivionem.

Cæterum cum hæc omnes conjecturæ veritatem non ostendant, est obligatio confitendi consensum illum dubium.